

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Favete linguis! Favete benignis animis!**

**Malsch, Johann Caspar**

**Caroli Heyscheo, 1722**

[urn:nbn:de:bsz:31-4489](#)

Favete linguis!

Favete benignis animis!

Ad xxv. Febr. labentis orationem de iis,

*Quæ ex Marchionatus Badensis memorialibus*

*ad Hist. Ecclesiastico - Literariam  
spectare videantur;*

*Habiturus, atque ita,*

**ILLUSTRI GYMNASIO,**

*Musisque in illo cum docentibus, tum discentibus,*

**V A L E** suum,

pro eo, ac, par est, officio, ac pietate dicturus est,

**VIR SUMME REVERENDUS, NOBILISSIMUS,  
AMPLISSIMUS, EXCELLENTISSIMUS,**

**DN. JOH. LAURENTIUS  
HOELZLINUS,  
SERENISSIMI PRINCIPI  
AC DOMINI NOSTRI**

Confessarius, Ecclesiastes aulæ Primarius, Consiliarius  
Ecclesiasticus, Superintendens Phorcensis, Steinensis & Langen-  
steinbacensis, nec non Præfectorum, Mühlburgensis, Grabensis & Staffurt.  
Scholarcha itidem, Pastor Metropolitanus, Profess. Theol.  
& Fisc. Vid. Inspector!


*Quem uti frequentes benebole audire, & discedentem in Marchiam  
superiorem ad capessendum illic*

*Superintendentis Sausenbergensis Munus,  
bonis omnibus prosequi dignentur*

Literarum nostrarum Patroni, Favatores,  
Mœcenates, Cultores;

Publica hac tum tabula, tum mandatu,  
gratioso invito,

**JOHANN - CASPAR MALSCHIUS,**  
Ill. Gymn. Prorect. & Prof. & Athenæi  
C. Hesychiani Moderator.



**IN CAROLI HESYCHEO,**  
TYPIS ANDREÆ JACOBI MASCHENBAUERI, TYPOGR. AUL. 1722.

86.



Uod Deus ter optimus maximus bene & benigne vertat, orationem suam *ἀποβαθησεν* ad xxv. Feb. in illustri Gymnasio, hora II. pomerid. habiturus est, Vir summe Reverendus, Amplissimus, Excellentissimus, Joh. Laurentius Hœlzelinus &c. atque ita Vale suum Musis nostris, animo pio, benigna mente, auspicatis & verbis & sententiis, dicturus. Hujus pietatis publicæ quasi præfica quædam, pararius, proxeneta, præcoque ut essem, Vobisque publica hac tabula indictionem ederem, tum publici nostri muneric ratio poscebat, tum Serenissimi jussus, quam me vereri æquum est maxime, suprema imperabat auctoritas. Nostis promptam viri facundiam; nostis eruditionem; neque adeo mihi nunc hilum opus esse videtur, longos logos ferere, aut instar agyrtæ cujusdam, & circumforanei clamatoris, fudo cœlo, tacentes auras impellere. Juverit fortasse magis, quoniam, ita indulgente Serenissimo Principe, hinc a nobis digressurus in Marchiam superiorem est iis conditionibus, quarum ignarurem vestrum arbitror esse neminem: Si vobis brevi delineatam penicillo historiam Vitæ, natalium, curriculae literarii, atque fatorum nobilissimi Viri expressero.

Edidit illum Marchia Baruthensis, famigerabilium Virorum fecrissima Mater, Anno superioris Seculi MDCLXXXVI. d. 15. Junii: parentibus Joh. Caspare Hœzelino, pastore b. m. & Anna Catharina, nata ex familia non ignobili provinciæ illius Pertschiorum. Nataliem locum & larem præbuit pagus ditionis Baruthensis, quem obernseum vocari accepimus, ubi Parens Clarissimi Viri, præconium verbi divini per complures olympiadas fecerat. Quod a puerō indolem præferebat docilis & capacis magnarum curarum ingenii, mature studiis destinatus, anno ætatis undecimo Curiam Variæorum missus est, celebrem locum, & liberalissimis studiis affuentem, ut ibi literis iis, quibus ætas puerilis informari ad humanitatem solet, imbueretur. Commoratus complusculos annos, cum magnam sui spem omnibus fecisset; quod jam eas in studiis progressiones sibi paraverat, ut ad majora altioraque transferri non indignus videretur, Heilsbronnam, missu Parentum, abiit, illustre proagogéum & literarum gloria florens, ibique prima philosophiæ & altiarum scientiarum tyrocinia depositus. Grassabatur ea tempestate fax belli Bavarо - Gallicani, pulsisque nostris aut metu perterritis præsidiis, victor ubique Bavarus omnia in omnes aut audebat, aut minabatur. Qui cum coacta valida manu emersisset ex finibus suis, & vicinos Norici agros passim inundasset: expugnato jam castro, in monte Russo exstructo, ditionis Norinbergicæ, factum est, [quid enim musis commune cum Mavorte?] ut terrore armorum civilium non vicinis solum regionibus vastitas, sed musis etiam

Heils-

70

Heilsbronnensibus solitudo & fuga inferretur. Itaque mandatu parentum, consuasu doctorum suorum, quibus studia sua plene approbaverat, Lipsiam petuit, celebrem illum mercatum omnis divinæ atque humanæ sapientiæ, veram illam ac meram oratorum præstantium officinam; ibique contento studio, omnibus usus & adjutus ingenii nervis, iis incubuit studiis, quæ præstantissima habentur. Animus erat, ibidem paulò diutius commorari, & interiora omnia literarum revolveare. Sed alius turbo, ab septentrione coortus, qui totam Germaniam gravi solicitudine concusserat, hæc longiora spissioraque consilia discussit. Namque Suecus, victor ex Polonia regressus, veluti torrens ruptis inolibus, in Saxoniam impetu facto late omnia corripuit, & volueri cursu ad occupandam Lipsiam cerebatur. Itaque, hinc quoque cum reliqua fugientium musarum turbā ablatus, in patriam, vexatam celocem reduxit, reflantibus ubique ventis; seque natali lari, patriæ, parentibus atque amicis restituit. Ibi, prout decebat, & jus fasque postulabat, perpendendum sese explorandumque dedit Theologis Baruthensibus, & excusus rite, anquisitusque ab Synedrio, & per omnia probatus, receptus in Ministerii Candidatos, Anno 1708., mandatu & indulgentia publica, compluribus Candidatis antelatus, sacrorum castrorum curam in legione Circuli Franconici, quæ parerebat illustri ductori ab Erffa, accepit, eoque per quadriennium ita perfunctus est, ut fama nominis ipsius summos æque atque infimos adverteret. Inde Anno 1711. traduxit eum benigno fidere, fati occulta vis atque religio in patriam nostram, vocatusque ab Serenissima matre vidua, AUGUSTA MARIA, [quam æternum beat indulgentia cœli!] in aulam suam, Ecclesiastæ aulici provinciam cum vicina aulæ Ecclesia Vicana per biennium & ultra gessit. Hic quoque sejugem haðenus vitam suam feliciter mutavit, pæctus sibi solum curarum & levamentum laborum, matronam honestissimam, virtutumque fama fatis illustrem, Johannam Sophiam, b. Bekii Pastoris Hagsfeldensis Viduam, ex qua duabus filiis auctus cumulatusque est. Commodum rem suam familiarem ibi instruxerat, cum ecce! mutare denuo coloniam, jussus est, & vocatu Serenissimi gratioso Denzlingam, Anno 1714., primam quondam Clarissimi Theologi Fechtii Parochiam, translatus. Inde anno post, ejusdem mandatu Serenissimi, revorsariam cepit Durlacum, ibique Archidiaconi ad S. Steph. & Professorio munere aliquandiu functus est. Hinc certatim in eum, quicquid amplum & honorificum videri solet, congeri coacervarique cæptum. Quippe cognita illius ἀγωνία, & in rebus Ecclesiasticis ac sacris promptitudine singulari ac perspicientia, Serenissimus noster, eundem in aulam suam accersivit, auctum munere Ecclesiastæ Aulæ primarii, Confessarii, Consiliarii Ecclesiastici, itemque Scholarchæ, ac paulo post, translata sede regiminis, in C. Hesychéo Pastoris metropolitani. Quibus demum

Anno

Anno 1719. accessit Dignitas Antistitis ac Superintendentis specialiter  
 in Profectura Phorcensi, Stein & Langensteinbach, & proximo an-  
 no Ecclesiarum Mühlburgensis, Grabenæ, & Staffurensis. In hoc  
 amplissimo munero curriculo, quid gesserit, quomodo se gesserit,  
 quam graves subinde, quam difficiles implicatasque causas tra-  
 rit, enodarit, explicuerit: Cum in omnium vestrum animis ac pe-  
 catoribus anteactorum memoria versetur, non habeo necesse com-  
 memorare. Nostis ab ipso inaugaratos Superintendentes quinque,  
 pastores ultra quadraginta: Auditis orationes ejusdem, quas habuit  
 publice, quatuor; Præsidentem cathedrae disputatoriæ vidistis unde-  
 cies; quæ dispp. omnes extant; Legistis programmata ejusdem, lin-  
 gua vernacula tria, Latina quatuor, itemque carmina aliquot & in-  
 scriptiones lapidarias, quas vocant: calet adhuc a prælo Concio ejus-  
 dem & alia, quibus inauguratio teinpli Cathedralis Phorcensis publica  
 facta: Hymnis ejusdem, compositis ab ipso jussu Serenissimi, perso-  
 nat quotidie facellum aulicum, publicatis mandatu sacro, & in o-  
 mnium aulicorum manu sudantibus. Idem dedicavit & initiauit Illu-  
 stre Orphanodocheum; disposuit studia Principum, instituit fiscum Ec-  
 clesiasticum, unde viduis Pastorum succurreretur; ejus quoque au-  
 toritate suasque hoc ipsum nostrum Athenæum, unde hæc scribo, ab  
 Serenissimo Principe institutum, curæ sollicitudinique meæ com-  
 mendatum est. Quid quod nunc etiam operas exercent Ejusdem Schediasmata  
 Homiletica? quæ ubi prodierint [prodibunt enim] dirigerunt aulici ad facienda rite  
 sana de quibusvis auditis concionibus judicia; docebitur Ministerii Candidatus rectam  
 formam oratoriz sacræ; instruetur Ecclesiæ minister, in singulis homeletices partibus;  
 intelliget denique quivis privatus vel Idiota paulo solertior, quid, qua ratione, quo  
 fructu audita quæque possit in suos usus convertere. Non possum, quin expectatione  
 tam præclari, tam singularis, tam nunquam visi monumenti commotus, stimulos adjiciam,  
 facesque supponam spissigrado & tardigrado Editori hoc Epigrammate:

Qui doceat quemvis in quovis ordine, quique      | Editor, ede librum! quid gaudia nostra moraris?  
 Eruditat cunctos, Editor, ede librum!      | Spernit amor, longas spesque coorta moras!

Hunc ergo, tantum, talem quicunque audire dignabitur, conveniat dicto loco,  
 die, hora; afferat secum benignum animum, faventein linguam, vacivas aures, & su-  
 premium Vale dicturo rursum Vale! respondeat. Nam cum haec tenus, tot districtus,  
 exercitus, atque vexatus, tantis tamque variis occupationibus, requiem aliquam atque  
 allevamentum virium suarum identidem animo optasset: tandem id a Principe indulgen-  
 tissimo consecutus est, ut non solum bona cum ipsius gratia inde liberaretur, verum e-  
 tiam, quo conspectus extaret signum perseverantis clementiae Principalis, retenta am-  
 plissima dignitate & Ecclesiastica, & Scholarchica per Marchiam superiorem, & inspe-  
 ctione Fisci Vid. addito quoque luculento auctario ad salarium suum annum, in Epho-  
 riam Sausenbergensem transferretur. Nostrum est, quicunque placidis imbuti sensibus  
 sumus, dimittere ipsum liquido auspicio, avi propitia, sereno supercilio, iterque ipsius  
 læto omne prosequi: id quod subitariis hisce & in ipso strepitu intercursantium occupa-  
 tionum natis versiculis facere visum est:

Utile sit, faustumque iter hoc, quod, amice, citatis Arripis hinc bigis, Hesychiaque locis! Utile sit sacris communibus, utile multis, Qui fuerint curæ munus opusque tua! Quumque tibi Hesychie subeat meminisse relicta, [Quis minor est amicæ, quam meminisse, labor?]	Pro nobis reliquisque tuis constanter omicis Excubet ille tuus, nos memorantis, amor! Utique tuas partes condignus adimpleat alter, Junge tuas nostris, præco diserte, preces! Dab. in Caroli Hesychæ VIII. a. Kal. Mart. Anno 1722.
--	---

